

Johann Bacmeister

Programma Quo Rector Academiae Rostochiensis Joannes Bacmeisterus. D. Med. & Sup. Matth. Prof. P. Ad Funereum sacrum, Quod Vir ... Dn. Matthias Petrus Burmeisterus ... Academiae huius Cancellarii ... Viduus moestissimus ... Foeminae Sophiae Fleischhawers/ Coniugi suae desideratissimae Hodie hora 1. in Templo Mariano paratum expetit, Omnes omnium ordinum Cives Academicos officiose invitat : [P.P. Rostochii XXVI. Sept. Anno cl I LXXI. sub sigillo Rectoratus ...]

Rostochii: Kilius, [1671]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777444917>

Druck Freier  Zugang



Bacmeister, J.,
in S. Fleischhauer,
uxor. M. P. Burmeister.

Rostock. 1671.

PROGRAMMA

8.

^{Quo}
RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
JOANNES BACMEISTERUS.D.



Med. & Sup. Matth, Prof. P.

^{ad}
Funereum sacrum,

Quod
VIR

Nobilissimus ac Amplissimus

DN. MATTHIAS PETRUS
BURMEISTERUS,

Sereniss, ac Celsiss, Principis ac DOMINI

DN. CHRISTIANI LUDOVICI, DUCIS

Mecklenburgici &c. &c. Dni. nostri Clementissimi,

Academix hujus Cancellarii Magnificentissimi Secre-
tarius intimæ admissionis optimè meritus,

Viduus mœstissimus

Laudatissima & Honoratissima Fœmina

SOPHIÆ Fleischhewers /

Conjugi suæ desideratissimæ

Hodie horâ I. in Templo Mariano

paratum expetit,

Omnes omnium ordinum Cives Academicos

officiosè invitat.

ROSTOCHII, Typis JOHANNIS KILII, Universitatis Typogr.



Uod in vulgari Græcorum Versu
dicitur, *Τα μέγαν ἀρετῆς ὄσι γυναικία γυνή.*
h.e. *Pænu Virtutis est generosa Fæmina;*
hoc ipsum argumentum quasi & summa est Salomonis inter omnes Mortales sapientiæ & potentiæ laude vel solius Servatoris nostri testimonio celeberrimi Sententiæ, quam Libri Proverborum clausulam esse voluit, in quâ partim Fæminæ s. Uxor occupationes &

labores in re œconomicâ, partim commoda, quæ ex hoc salutari adjutorio Maritus in omnibus ferè partibus rei familiaris rectè administrandæ percipit, eleganter & copiosè describit: meritoque omnibus petulantium ingeniorum vituperationibus & sannis, quibus Muliebrem sexum tum Secundus Martionita, tum Arius quidam, tum alii Poetæ atque Philosophi pessimè infamare non erubuerunt, opponi potest; quorum ille, rogatus, quid esset Mulier? Respondisse fertur, Viri naufragium, domus tempesta, vitæ captivitas, voluntaria pugna, bellum sumptuosum, quietis impedimentum, damnum quotidianum, Scilla exornata, animal malitiosum, malum necessarium &c. hunc verò M. Pacuvio familiari suo querenti, quod in horto funestam haberet ficum, unde tres se suspenderit Uxores, salissimè respondisse accepimus: mirari se in tot successibus invenire eum lachrymas posse, & petiisse, ex ista arbore
quos

quos sereret furculos. Existimabat scilicet Mulierum ille osor,
in summâ felicitatis parte ponendum esse, si quis Uxorem vel
nunquam, ut ille apud Comicum ait, habuerit, vel eam quam
primum amiserit: non secus atque Cato, qui, si absque Uxori-
bus Mundus esse posset, vitam nostram non sine Diis fore puta-
vit. Ut Satanicum illum quorundâ sarcasum, qui Mulieres Ho-
minis appellatione nō dignantur, silentio involvā, quos omnes
ad malam crucem ablegandos esse nos, quibus

De meliore luto finxit præcordia Titan,
meritò statuimus, utque cum Poeta à canibus ob opprobrium
sexui sœmineo illatum, discerpto, meritissimas luant pœnas,
mercedis loco apprecamur. Qui enim aliter possumus, quam
ut summis prosequamur encomiis portionem ossium & carnis
nostræ, ut agnoscamus grata mente summam illam Creatoris
providentiam in associando nobis adiutorio. Præstans namq;
Mulier non solum singulare DEI donum est, sed etiam ceu ju-
cunda Cerva & venustus Hinnulus exhilarat & exsaturat Virum
suum, imo, secundum Plutarchum & Dionem Cocceum res est
inexsuperabilis. Certè nisi sœminam ex Viri costa genitam esse,
sacer Cordex nos edocuisset, divinitus nobis ingeniti bonæ men-
tis characteres sufficienter impressissent. Tam vehemens enim
Viri & Mulieris naturæ ingenitus est ardor & amor, ut semel
junctorum animas in duobus corporibus habitantes binas, divi-
nâ Metamorphosi in unam consolidet, ex pluribus ossibus u-
num, duo in carne una efficiat. Unde Immanuel noster JESUS
CHRISTUS amorem suum erga genus humanum sub imagine
Sponsi & Sponsæ in verbo suo nobis adumbrat. Ut enim ex *Adam*
dormientis costâ *EVA* extructa; ita ex *CHRISTI* in cruce obdor-
mientis latere, & inde præmanante sanguine exâdificata *Eccle-*
sia, sincera sponcione & fide Sponso suo jungitur. Quo respi-
ciens Oseas; *Desponsabo te mihi, inquit, in æternum, desponsabo*
te mihi in justitiâ & fide. Hujus spiritualis amoris quoties Vir
A 2 Uxori

Uxori fœdere jungitur Conjugali, recordari debet, cujus efficaciam Modestinus Jctus verbis prægnantibus describit, dum conjunctionem talem Consortium omnis Vitæ & communicationem divini & humani juris appellat. Et Euripides apud Clementem Alexandrinum, nec regnum, nec aurum, nec divitias tantum in se habere voluptatum, quantas habet Viri boni & Mulieris castæ animorum conjunctio expressis statuit verbis. Poetæ quibus familiare est, sub involucro Fabularum res magnas & cognitu non inutiles proponere, ut ostenderent in imagine quadam, quam svave sit consortium bonorum & fidelium Conjugum in Vita, quam ingens defuncti in superstitute desiderium, finxerunt Orpheæ, Musicum illum svavissimum, ad inferos descendisse revocandæ Uxoris Euridices gratia, cujus obitum ante multis lachrymis deploraverat: siquidem

*Ipsæ cava solans agrum testudine amorem,
Te dulcis Conjux, te sola in littore secum,
Te veniente die, te decedente canebat.*

Quemadmodum enim teste Homero, τῶν γε κρείσσοι καὶ ἀγροὶν ἢ ὄθ' ὀμοφρονοῦν τε νοήματα ὄνειρον ἔχουσι ἀνὴρ ἠδὲ γυνὴ h. e.

*Nihil in toto melius vel dulcius orbe est:
Unanimis quam si studiis concordibus unâ
Fœmina Virg, domo vivunt:*

Sic nihil contrâ in vitâ acerbius nihil tristius accidere Conjugibus potest; quam si ab alterius sinu & complexu svavissimo violentia fati alter abstrahatur. Quo enim ardentior inter Conjuges fuit amoris flatu, hoc ferventiores dolorum ex separatione illorum in Viduum animum immittuntur faces, nec Boni, ut illi, quorum supra facta mentio est, postquam Uxor honesta valedixit, malò quoquam se liberatos aut beneficio affectos latantur: sed parte Cordis plus quam dimidiâ, Vitæ adjutrice, curarum expultrice, fortunarum defenstrice, non sortitò accepta, sed

sed iudicio sibi delecta orbatos cum fletu & singultu testantur;
experiunturque veritatem vulgati Versiculi,

Non dolor est major, quamcum violentia Mortis

Unanimes solvit Corda ligata manu.

Unde eleganter quidam ex antiquis Patribus illam, quæ morte fit, separationem Mariti & Uxoris *diximus* quasi Cordis & animæ dimidium superstiti abscindatur, appellavit. Quid igitur moestissimo huic nostro Viduo contigisse putemus, cui fatorum violentia ante quatuordecim dies Cor ipsum in duas quasi partes secuit, ac thesaurum post DEUM omnium pretiosissimum eripuit. Quanto enim ardentior & svavior inter hosce sacri thori socios conjugalis amor extitit, tantò acerbior & amarior luctum inexpectatum hanc separationem superstiti excitasse, nulli potest esse dubium. Nam si L. Crassus murenam in vivario domus suæ mortuam atratus tanquam filiam luxit: Si Magnus ille Macedo, qui cum Oceano regni sui terminavit limites, & orientem intra Imperii sui fines Solem videre potuit, Hephæstionis mortem nulla rationis modestiâ servata, impotentissimè tulit, sic ut equos mulosque tonderet, & mœnium piinnas in Urbibus dejicere: Si deniq; Jonas Propheta vehementissime luxit ob hederæ sive cucurbitæ interitum, quæ capiti ejus umbram præbuerat, æstumque ab ipso defenderat: quid animi jam esse statuitis VIRO Nobilissimo ac Amplissimo DN. MATTHÆO PETRO BURMEISTERO, qui non Piscem, cujus jactura facilis; non Amicum, cujus fides non nunquam sublesta; non Cucurbitam, rem levem, sed Uxorem imprimis dotatam Virtutibus amisit. Cujus Originem atque Vitam non est ut prolixè nimis in præsens deliniamus, vel in ejus laudes inquiramus curatius: Anima enim in societatem fidelium & castorum recepta, secundum Augustinum Hipponensem Episcopum, laudes nec curat nec quærit humanas, quia in requie & beatitate est, ubi neque dolor alius illam cruciat, neque

que laudatio humana afficit : tamen ne vel virtutibus ejus iniqui, vel posterorum parum fuisse curiosi videamur, pauca quædam & quasi in transcurso, prout nobis communicata sunt, commemorabimus. Patriam terrenam habuit *mangel-
ms* nostra sœmina lectissima, SOPHIA Fleischhawers Svverinû Oppidum Ducatus hujus Mecklenburgici tûm sede Ducum tûm Episcopatu olim nunc Principatu satis nobile, ubi in lucem edita est anno reparatæ salutis cto Ibc XLIII, die IX. Octobris, hora VII. matutinâ cum XLV. minutis primis Parentibus honestissimis, Patre Viro Prudentissimo ac Spectatissimo DN. Benjamin Fleischhawer / Senatore & Mercatore Svverinense eximio, Matre vero matronalium virtutum decore conspicua Maria Krausen. Avum Paternum sortita fuit Virum Integerrimû EMANUELEM Fleischhawer / Organicum Parchimensem, Aviam paternam honestissimam Matronam ANNAM Bermans. Avum Maternum laudare habuit antiquæ Virtutis ac fidei Virum THOMAM Krausen / Civem Svverinensem haud postremum, Aviam Maternam MARIAM Ludwigs / christianæ sœminæ simulachrum. Quam primum his Genitoribus in lucem edita, ac paulò deinceps instar surculi Arbori Vitæ JESU per regenerationis lavacrum inserta esset, non potuit pietatis & morum optimarum succum cum lacte materno non imbibere, & in officinâ pietatis magis magisq; eo imbui & præparari, donec tandem purpurâ Virtutis seriò tingeretur, eamq; in omni Vita sua omnibus in actionibus circumferret, nec unquam deponeret. Quod si in equis dignitatem soboli parentum adferunt animi: si in arboribus ex plerumq; laudantur, qui optimis è seminibus coaluerunt: quid miramur, omni Virginitatis virtutum genere præditam fuisse hanc piè defunctam SOPHIAM nostram, hisce ex Parentibus natam, & ab iisdem piè pudicè & educatam, altam, eruditam, institutam? Hinc sanè factum est, ut primis statim annis nihil haberet ante oculos, nisi
cul

cultum religionis, nihil sequeretur, nisi bonos mores, nihil appeteret, nisi decus & honestatem. Nullam frons superbiam, nullam oculi licentiam, nullam linguâ proterviam, nullam facta aut gestus ferociam præ se ferebant, sed amica, modesta, sedata erant omnia: animum gerebat minimè infectum vel ignaviâ torpidâ, vel luxurie profusâ, vel mollitiæ delicata: sed imbutum cultu Virginis honestæ & castæ, qui, auctore Tertulliano est, de simplicitate ponere candorem, de pudicitia præse ferre pudorem, pingere oculos verecundia, inserere in aurem sermones Dei, manus laboribus assuescere, corpus habere vestitum serico probitatis, bysso sanctitatis & purpurâ pudicitia. Nec Matris charissimæ insperatus & præmaturus obitus nostræ huic SOPHIÆ in studio virtutis gnauiter currenti remoram aliquam injicere aut alio eâ delectere potuit. Quamvis enim vix XIII ætatis annum ingressa esset, cum, disponente sic DEO summo, cujus voluntati refragari nefas, Matre dulcissima orbaretur: Tamen Palmitis instar onere hoc non oppressa sed potius elevata magis magisque est, & Parentis œconomia tanta quidem cum laude, quamvis forte non sine propria sanitatis atque valetudinis dispendio præfuit, ut in illius dispensatione ne minimum quidem punctum jure merito desiderari potuerit. Ex hoc itaque ornatu, ex hac industria indefessoq; studio atq; labore elucens splendor latere nequii, sed honestâ percrebescente famâ pegaseo quasi volatu penetrans, huic Virgini nubili factæ Procos non Penelopes fungos aut Narcissum aliquem calamistratum, vel Mavortis pullum, sed sorte Rebecæ Nauasiæ vel Lavinia præclaros amatores & admiratores, nec hosce amatoris Philtris, uti Lucilia quondam, sed nigricantibus oculis *ελικόπιδος*. Veneris æmulis nil nisi Virtutem castumq; amorem spirantibus sibi conciliavit; Inter quos cum & supra nominatus DN. BURMEISTERUS haud postremum occuparet locum, modestè non solum eam ambiit, sed & tandem haud difficulter exambitam Anno

no

no M. DC. LXVIII. die VI. Octobris instituto actu nuptiali, sibi Matrimonio copulavit; Expertus enim & ipse fuerat, verissime dixisse Poetam Christianum:

*Mentis honor, morumq; decus sunt vincula sancti
Conjugii. ---*

Felici itaque cum Conjugali nexu Integerrimo huic Vi-
ro nunc moestissimo Viduo copulata esset, Virtutes, quas
cum lacte materno quasi suxerat, multis experimentis
exseruit: Cum Phidiacam namque venere cochleam institit,
cum Lacanis & Chynensibus domi se continuit, famam non for-
mam publicè notam esse voluit, oculos nunquam à Marito de-
flexit, & cum Armenia Tygranis Coniuge alieni Mariti formam
penitus ignoravit: Nec amatorum delusionibus delectata,
ut Penelope; non in subessoris gremio refedit, ut Clytemnestra:
sed castitati votum dictum devotè servavit. Insuper Imperium
in Maritum non affectavit, sed cum eo in tanta animorum con-
junctione vixit, ut crederes unam mentem in duobus fuisse di-
visam corporibus. Consensus tantus inter eos fuit, ut ludus
præ eo sit turturum, quæ in proverbium transit, concordia, ut
nec major inter Pomponium Atticum ejusq; Uxorem, quæ tan-
toperè extollitur, animorum conspiratio esse potuerit, nec Vi-
riplacæ sanum unquam ingredi opus fuerit. Callimachi impiam
doctrinam statuentis, ideò Minervam capite Jovis non Matre na-
tam esse, quod in sequiorem sexum nec caderet sapientia, exem-
plo suo re & facto redarguit & refutavit. Prospera & adversa for-
ti & patienti animo pertulit, atq; ita vitam composuit, ut Vir-
tutes omnes, quæ antiquitas, maxima sui ostentatrix, tum de
Alcestis fide, tum de Penelopes castitate, tum de Aspatia forma
nobis reliquit, quæq; in honesta Uxore requiruntur, in hujus
pectore domicilium meratæ viderentur. Quare etiam eam non
tam priscais illis apponimus, quàm Sacramenti nostri prerogativam
anteponimus. Illa namque molem rei domesticæ seu Atlas sus-
stinuit

stinuit, direxit, Maritum publicis negotiis occupatum, omnibus
curis liberavit, atque hâc ratione id consecuta est, ut totum Ma-
ritianimum ad se transferret, ultro fatentis: non aliud sibi nisi ex
Matrimonio solatium esse. Nec vero amor hicce tam sincerus
conjugalî sine fructu extitit. Quin potius nostra hæcce SO-
PHIA, non tam nomine, quam re ipsâ SOPHIA dicta, Maritum
suum duorum elegantissimorum filiorum Patrem fecit, quo-
rum primus CHRISTIANUS dictus Anno M. DC. LXIX. die
XXII. Augusti luci huic mundanæ expositus, illam vix aut ne
vix quidem adspiciens, statim ad sedes æthereas avocatus est. Se-
cundò genitus etiam, cui nomen GOTFRIED LEONHARD
postquam Anno M. DC. LXX. die XII. Septembris orbis hujus
terreni incola factus & Dn. Parens, jubente sic ac volente Sereniss.
ac Celsissimo Principe ac Domino DN. CHRISTIANO LU-
DOVICO, Duce Mecklenburgico, Principe vetustæ gentis
Henetæ &c. &c. Domino nostro clementissimo, Parisiis evoca-
tus esset, præterlapsis quatuor saltem post ipsius discessum
septimanis in beatorum consortium, ante quam hujus mundi
sordibus inquinaretur, iterum receptus est. Atque sic conjugium
hocce melle alias refertum, uberrimè, non carere debuit
felle. Quantos enim horum Conjugalis amoris obsidum subita
mors in animis tam benè inter se conspirantium Con-
jugum excitaverit motus, vel inde abundè satis apparet, quod
Timanthes nobilis ille Pictor memorante Plinio & Fabio, Aga-
memnonis mærorem ex obitu filia Iphigeniæ conceptum summam
industriam exprimere annitens, ~~τορην~~ exinde enascentem luctum
Paternum paulò altius pensitans, eum nullo colore depingi
posse animadvertens, penicillum abjecerit & Patris faciem velo
contexerit, eoque significare voluerit, dolorem ejusmodi nul-
la arte delineari posse, sed imis tantum cordis penetralibus sen-
tiri & recondi; Ut enim Parentes liberos plus se ipsis diligere
Paulus JCrus ait, nec ullum amorem paternum affectum vin-
cere

cere Justinianus Juliano præfecto Prætorio præscribit: ita nec ullum mœrorem luctum paternum ex Liberorum præmaturâ morte perceptum superare Ulpianus Jctus innuit, dum duram Infantium à Parentibus separationem esse dicit, turbatoque naturæ ordine hoc ipsum quasi contingere statuit. Quantas insuper Gravidationis tempore sustinere molestias, quanta devorare incommoda, quantis demum morbis conflictatum sit corpus hocce delicatulum, concinnum, elegans & cui ad consummatissimam pulchritudinem nihil deerat, vel omnes, quotquot Syverinense inhabitant Oppidû, norunt optumè. Exantlatis ultimis partus doloribus & quidem felicissimè, bellè quidem in antecessum sese habuit. Verum præterlapsis aliquot post Puerperium septimanis de intumescentiâ Ventris & hypocondriorû molestis per intervalla admodum doloribus valdè conquestus est: Cui quidè malo, ut extemplo consulere, non ad sanum Orbanæ vel malæ fortunæ aliasque anuum edentularum præstigias, prout moderni seculi mos est atque consuetudo, se convertit, sed duos præstantissimos Medicos in consilium adhibuit, alexipharmaca secundum nobilem hanc artem convenientia applicuit, tantumque, benedicente Divino Numine, profecit, ut lecto surgere, domo exire, sacrisque interesse concionibus in templo potuerit, cum per integrum semestre ferè spatium lecto affixa fuisset. Cum autem secundum Medicos omnis recidiva pejor morbo sit ipso, ita etiam hoc ipsum maximo suo damno potius dicam an commodo? experta est nostra SOPHIA. Vix enim aut ne vix quidem prioris morbi scintillulæ superstites extinctæ erant, Ecce: non tantum malum priscum recrudescit, sed & de novo flamma quædam erumpit undiquaque serpens, languoremq; tantum cum insigni viscerum naturalium obstructione eamq; insequente *ἀρροφία*, tussi & anhelitus difficultate, nec non varia alia periculossima symptomata corpori inducens, ut iterum de prudentis Medici consilio

filio propediem explorando tum ægrotâ ipsa, tum Maritus charissimus, singulari fato jam ex itinere Gallico redux factus, solliciti essent. Instituta itaque gravi deliberatione, tandem Meum qualecunq; Consilium per literas sibi communicari pro debellando hoc perniciosissimo hoste petiit Amplissimus noster BURMEISTERUS; memor felicis istius Curæ, quam Nobilis fœmina Sperlingiana Rubovii ante aliquot annos me gubernatore experta erat, & quidem tanto cum successu, ut Orci faucibus quasi erepta Generosa hæc Matrona, DEO labores nostros benedicente pristinæ sanitati restituta sit. Conceserat beata nostra SOPHIA cum Marito charissimo curæ sustinendæ causa *Dobraznum*: Vocatus & ego, sub ipsum accessum ex signis evidentibus & discursu cum ægra instituto illam Asthmate scorbutico cum febre continua lenta laborare, omniumq; ferè vilcerum tonum planè corruptum esse animadverti, autorq; sui, ut, si vel quicquam adhibendum esset, id ipsum Rostochii me præsentem fieret. Ingressa itaq; hanc nostram Rhodopolin, invocato primum Numinis Divini auxilio curæ meæ maximo animi cum prolubio sese submisit. Verum tantus aderat Virium defectus, quem ex præcedente morbo variisq; tum temporis adhibitis Medicamentis purgantibus contraxerat, ut vix pedem è lecto movere, multò minùs erecto incedere corpore, cibum & somnum capere, vel etiam manū in assumendo cibo ori admoveere poterat. Memor itaq; & ego moniti Hippocratici, in ancipiti scilicet casu tutius abstinendum à cura, ne prostituatur Ars, quam frustra quicquam tentandum, in bivio quasi constitutus quò me verterem, hæsi. Ne tamen pro derelicta haberetur præstantissima hæc Fœmina, dubiam hancce in me suscepi curam, eventum Deo summo, qui omnia dirigit, & in cujus benedictione omnia posita sunt, committens. Verum adhibito saltem uno vel altero Medicamento, omnibus facultatibus illam adeò exhaustam sensi, ut vel impossibile esset, tantam viriū ja-
cturam

cturam, afferat etiam vel ipse Epidaurius herbas, resarcire, vel cum fructu ulterius quicquam tentare. Quamvis enim morbus primis diebus parumper remittere videretur, agraque cibum appetere inciperet: Asthma tamen illud pertinax, nulla cura, nullis auxiliis, quæ summa diligentia ac circumspeditione nec parvis sumtibus adhibita fuerunt, tolli penitus potuit. Vicit itaque tandem vis morbi & vires defunctæ intra paucos dies ita fregit, ut illa lassæ curis, sessa de via, defatigata cursu ex hoc sordido brevissimæ commorationis tuguriolo in patriam cœlestem properaret: nec cum Lothi Coniuge Sodomam in via respexit, sed rectâ in cœleste Segor contendit, & Medico Animæ Viro Maximè Reverendo, Amplissimo ac Excellentissimo DN. HENRICO MULLERO, S.S. Theol. D. & Prof. Publ. famigeratissimo, nec non Pastore Mariano & Superattendent, jam confirmato Venerandi Ministerii Ecclesiastici Rostochiensis gravissimo, Collega, Fautore ac Amico nostro æstimatissimo, accito, animâ fide & spe in Christum obfirmavit, ejusdèq; vivifico corpore & sanguine refocillatâ erectam & armatam placido velut somno assopitam, cum paulo antè Marito charissimo, me, aliisq; honestissimis Matronis præsentibus ultimū vale dixisset, proq; omnibus sibi præstitis maritalibus officiis, amoribus atq; fide, quâ præ reliquis summis extulit laudibus, quod scilicet experta esset abundè Mariti fidem, candorem atque amorem sincerum, gratias egisset maximas, XII. hujus Mensis Septembris die circa quartam pomeridianam inter preces & suspiria adstantium Immanueli Christo in ipso ætatis flore reddidit, cum scilicet Annum XXVIII. nondum complevisset. Digna hæc erat, quæ Colchidos herba visceretur & avitarnitate potiretur: sed, ut Vernali tempore flores non nullos Vere novo subito efflorescere & statim flaccescere, non nullos in ætatem, aut unum brumamque durare cernimus: ita in hoc Paradiso terrestri satos flores quandoque infantili, non nunquam juvenili, vel etiam senili

senili atate concidere cernimus. Fata enim non servant ordi-
nem, Seneca teste, inter Senes & Juvenes. Juvenibus in insidiis
mors est, quæ Senibus in januis. Omnibus æqua lex posita est,
ferius, ocius,

Mors & valentem persequitur Virum,

Nec parcit imbellis juventa,

Poplitibus senioq; crudo.

Causa communis hujus sortis, si rem sacram consulamus, non
alia est, quàm quia omnes ex æquo præcipiti lapsu ruimus in
prævaricationes. Nemo à criminibus liber, nemo iniquita-
rum ac admissarum noxarum carens invenitur. Quo circa &
Morbus & Mors, peccati merces, pari lege omnes manet. Certè
si vegeta juvenus, si membrorum concinnitas, corporis pul-
chritudo, virtutum decus, si denique, quod maximum est, vi-
tæ remuneratrix *Pietas* vitam redimere & morti subducere
quemquam possent, mortua hæc BURMEISTERIANA non
fuisset. Verùm Natura rerum humanarum Dædala mater ho-
mines non aliter ac herbas tractat, bonos novercante manu
premit, decutit, variâ fortunâ exercet & exercitatos ad se
evocat, malis è contra carduis indulget, lolia excrescere & vi-
rescere & amplificari sinit: Quo Mantuanus Poeta respiciens
canit:

Terra malos homines & noxia gramina nutrit,

At melius semen ferre recusat humus,

Mitior est propriis, alieneq; pignora semper

Trahat inhumanâ, dura noverca, manu.

Vir bonus est cæli, malus est telluris alumnus,

Quos igitur cælum diligit odit humus.

Hinc humana Vita folia quò beatiores animas vestiunt, eò lu-
bentius & ocius decidunt: Herba quò svaveolentiores sunt, eò
citiùs expirant: Homines quo Deo sunt gratiores, eò citiùs ante
hyemis hirsutæ rigores in cœlestia Tempe & Elysijs campos

transferuntur. Quo cum etiam SOPHIA nostra comite CHRIS-
TO, qui lux est in tenebris, via in vita, veritas in caritate, uno
verbo, qui omnia est, translata sit, in speculo æternitatis jam con-
stituta ex alto videt, quod fuerit unius dieculæ imò verò mo-
menti vita quã in hisce terris exegit; Videt, quam modica sint,
quæ aut suã cupiditate homines alliciunt, aut terrore percel-
lunt; Videt quam fluxa & caduca, quam vana & infirma, quam
exilia & brevia, imò verò quam magnum inane & grande nihi-
lum sint omnia, quæ hoc terræ puncto & momento continentur.
Si huic beatæ Animæ fandi potestas nunc daretur, Mortales se-
quentibus alloqueretur verbis. Quid Vos meditamini annos
& secula, qui unius dieculæ animalcula estis, unius horulæ flo-
res, unius momenti culices? Quid mansiones & habitationes
cogitatis, avarè congeritis, corraditis, sollicitè queritis omnia,
flore Hemercalli sæpè leviores? Estis saltem umbra transiens,
aqua præterlabens, volucris prætervolans, fumus evanescens,
flos arefcens, fabula, schema, somnium Umbra, & tamen tantos
excitatis tumulto: Potius relictis omnibus mundanis ad Deum,
vos convertite, æternitatem considerate, ibi vera quies, vera
lætitia. Maritum vero, Patrem, Fratrem atque Sorores post
se relictos inæstissimos hac voce consolaretur. O mei! nolite
irrito dolore vos macerare & nimio luctu Cor exedre. Cogita-
te, quæso, paucos post dies vos insecuturos; nolite mihi transi-
tum pervitæ hujus pelagus celeriore ulterius invidere. An-
gelorum quippe choris jam intersum, cum beatissimis spiriti-
bus DEO conditori assisto, præsentem DEI vultum cerno,
nullo mortis metu, nullo peccati aut miseriæ sensu afficior,
sed incorruptionis perpetuæ munere lætor, ubi DEO nitor,
in DEO vivo, in DEO gaudeo, in DEO dilator & pedibus ter-
ro quicquid sub Sole, sub Luna vel blandum est vel tremen-
dum. Hæc itaque felicitate potitam quid lugebis Marite,
præstantissime Costam tuam desideratissimam, SOPHIAM
tuam

tuam mellitissimam? quid Filia dilectissima atque Sororis
charissimæ desiderio maceraris Pater, Frater atque Sorores,
quæ beata in cœlo consistit? Beatum enim deslere, Autore Se-
neca, invidia est.

--- --- *Stultus es*

Qui facta infecta verbis postulas,

Thetis quoque etiam lamentando lessum fecit filio,

ait ille apud Plautum in Tricul. Lamentis gemituque & sœmi-
neo ululatu filium deslevit Thetis, & tamen suis illa lacrymis,
quod factum erat infectum reddere non potuit. Vos verò qui
mœrore quasi planè confecti estis, licet possitis, nolletis tamen,
credo, factum lacrymis vestris infectum reddere, & hanc vestram
Uxorem, Gnatam atq; Sororem è lætitia in miseriam, è vita in
mortem, è luce in tenebras revocare. Certè Indicâ vel Gethi-
câ lege si viveremus, quâ, uno conjugium mortuo, superstes
vivo corpore rogo simul imponebatur, eidem & tu Vidue mœ-
stissime, libenter pareres. Verum nobis Uxores vivas ut, ama-
re voluptas, ita mortuas lugere religio & pietas, nimum lu-
gere, impotentia, imò dementia est. Dissoluti nem quidem
hanc meritò luges, sed mœrorem mitigare instar Nepenthes
Homerici poterunt, & quæ exulceratissimum hocce seculum
circumstant miseriam. Quocunque enim hoc tempore oculos
conyertamus, sentinam veram & amurcam Mundi in hanc ata-
tem confluisse advertimus. In navi sumus omnes, cujus
clavum cœlestis ille Palinurus regit. Licet quidem nobis per
floros & transtra discurrere, sed ille minutus motus navis cur-
sum haud impedit. Sic licet voluntates nostræ & querelæ lu-
gubres currant, discurrant licet, non minùs cursum navis fatalis,
quam ipsum mare sistunt. Quin potiùs ut sumina perpeti &
prono cursu feruntur, ita res humanæ per cladium canalem ad
suam labuntur metam. Acquiesce itaque in JEHOVÆ navi-
gatione, quâ Conjux tua deducta est ex fluctibus ad maliciam,
extem

ex tempestivo mari in portum, & parce lacrymis: quod ni feceris, facilius Uxori tuæ dolor iste te adjiciet, quam illam tibi reducet. Hæc dum scribo, me non monente quid velim, *Cives Academici Omnium ordinum honoratissimi*, intelligitis. Vetus est versiculus: *Ἐνὶ τῷ περὶ σικκιδὸς μὴ γέλα πεινυμένω*, quo non tantum auræ vitalis, quâ fruimur fragilitas, sed & piis manibus debitus honos nobis inculcatur. Quem honorem hodiè quoque à Vobis exigit Fœmina, non deformis vel monstrosa quædam spinturnix cernua, non Polla, non Calphurnia, vel Xantippe quædam, sed pulcherrima, castissima, pudicissima, oculis olim nigricantibus nunc clausis, genis rubicundis nunc pallidis, ore sævini nunc tacito Vos compellans, & debita justa, nœnias scilicet & Christianas exequias sibi solvi petens. Hanc ut fronte pudicâ, gestu modesto, comitate insigni præditam vivam lubenter salutastis, ita nunc ex sanguinem, ex animem, ast stolâ candidâ amictam, æternæ vitæ candidatam funebri lesso & honore ultimo prosequimini. Hoc ipso præstabitis rem DEO gratam & Viduo mœstissimo totique Familiæ acceptam valdè atque debitam. Siquidem, ut mihi hoc Gregorius de suo largiatur, qui feliciter in alterius funere suum locat studium, in suo postmodum experietur idem medium.

*P. P. Rostochii XXV L Sept. ANNO clō lō LXXI.
sub sigillo Rectoratus,*

Conventus fiet in æde B. Mariæ sacra,
ad horam mediam secundam.



GK

senili atate concidere cernimus. Fa-
nem, Seneca teste, inter Senes & Juve-
mors est, quæ Senibus in januis. Om-
ferius, ocius,

*Mors & valentem persequitur
Nec parcat imbellis iuventa,
Poplitibus senioꝝ, crudo.*

Causa communis hujus sortis, si rem-
alia est, quàm quia omnes ex æquo p-
prævaricationes. Nemo à criminibi-
rum ac admiffarum noxarum carens in
Morbis & Mors, peccati merces, paril-
si vegeta juvenus, si membrorum co-
chritudo, virtutum decus, si denique
tæ remuneratrix *Pietas* vitam redime-
quemquam possent, mortua hæc BU-
fuisse. Verùm Natura rerum humar-
mines non aliter ac herbas tractat, b-
premit, decutit, variâ fortunâ exerc-
evocat, malis è contra carduis indulg-
rescere & amplificari sinit: Quo Man-
canit:

*Terra malos homines & noxia gra-
Ast melius semen ferre recu-
Mitior est proprius, alieneq; pigno-
Tractat inhumanâ, dura n-
Vir bonus est cœli, malus est tellu-
Quos igitur cœlum diligit oc-*

Hinc humana Vita folia quò beatiore
bentius & ocius decidunt: Herba quò
citius expirant: Homines quo Deo sun-
hyemis hirsutæ rigores in cœlestia Te
B 3

servant ordi-
bus in insidiis
lex posita est,

fulamus, non
su ruimus in
mo iniquita-
Quo circa &
nanet. Certè
corporis pul-
imum est, vi-
subducere
RIANA non
ala mater ho-
rcante manu
iratos ad se
rescere & vi-
ta respiciens

tiunt, eò lu-
bres sunt, eò
eò citius ante
sios campos
tratis-

